

A solutione subsidii et taxarum nemo plane sit exemptus.

A r t i c u l u s 15.

Quod ad solutionem autem memorati subsidii ac taxarum attinet; nemo, nec Camerarius, ac Tricesimator, nec Vice-Banus, nec Vice-Proto-Notarius, Vice-Comes, Notarius, aut Judex Nobilium, vel quispiam alius sit exemptus.

De reparatione viarum; et de poena eam negligentium.

A r t i c u l u s 30.

U t viae ubique quamprimum reparentur, necessarium est. *)

§. 1. Curent ergo Vice-Comites, ut sine mora ab omnibus reparentur, tam in Ungaria, quam in Sclavonia.

De poena, in certos Nobiles bigamos ac incestuosos et publicos malefactores; publice statuta.

A r t i c u l u s 36.

I tem, quia inter caetera peccata et enormia facinora, quae in hoc Regno Ungariae, ac in Sclavonia vigent, illud etiam non postremum est; quod sunt nonnulli, qui divini praecepti, ac honestatis immemores, vel plures, quam unam, uxores ducunt, vel autem, ut libidini suae indulgeant et serviant; relicta, aut interempta prima, alteram superinducunt; ac interdum proximo sanguine junctas, in matrimonium sibi accipiunt, ut sunt, Emericus Majthény, **) Emericus Báty, Tutor Delij, Joannes Hollossius, Petrus Pellérdi et similes, similiter etiam uxores eorum:

§. 1. Deinde, alii quoque publici malefactores plurimi sunt, qui vel ipsas vias observantes, vel autem domos invadentes, latrocinia, atque homicidia exercent:

§. 2. Ideo statutum est; ut Constitutiones Anni Quadragesimi octavi, ***) de hujusmodi publicis malefactoribus statuta observentur:

§. 3. Ac, si Domini terrestres per Supremos Comites et Vice-Comites requisiti, eos debito modo punire noluerint; tunc tam in bonis Suae Majestatis, quam etiam quorumcunque Dominorum Praelatorum, Baronumque et Nobilium, (etiamsi Nobiles fuerint) per eosdem Supremos Comites et Vice-Comites capi et judicari atque puniri possint.

§. 4. Personae autem supra denominatae, statim in jus citentur; ac jure primum convictae et aggravatae, tandem capiantur et puniantur. †)

*) Prout statutum erat, An. 1598. art. 30.

**) Absolutus est, An. 1618. art. 74.

***) Scilicet, An. 1548. art. 48. et seqq.

†) Confer., An. 1625. art. 13.